



18. 1736, 5  
Q. F. F. Q. S.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,  
DE  
**DEFINIENDIS**  
**JVSTIS SCIENTIARVM**  
**PHILOSOPHICARVM**  
**LIMITIBVS,**  
PRIOR,  
quam  
IN ACADEMIA GEORGIA AVGSTA,  
PRÆSIDE  
**SAMVEL. CHRISTIANO HOLLMANNO**  
LOG. ET MET. P. P. O.  
ad diem XXI. Jul. A. M DCC XXXVI.  
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO  
DEFENDET  
**JOH. CHRISTIANVS CLAPROTH,**  
OSTERODA-CHERVSCVS,  
L. L. Ⓛ Philos. Cultor.

---

Göttingæ  
Litteris Joh. Frider. Hageri.



CELESTI  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE TINHENDIS  
LAVATIS SCHINERIA  
PHILOSOPHICARUM  
PRIMITIBUS

SYNOPSIS CHRYSANTONI HOMMAMIO  
TOMVS I. PART. I. C.  
ad quod XXII. cap. V. BCC. Z. E.

JOH. CHRISTIANAS CLAVORTI  
CASTROPOL. CHIRURGVS  
M. L. G. A. M. G. C. M.

Litteris Joh. Christiano Hause  
Genuinis

BENEFICIORVM  
AB AMPLISSIMO  
REIPUBLICÆ OSTERODANÆ  
SENATV  
VIRIS  
GENEROSSIIMO  
PRÆNOBILISSIMIS AMPLISSIMIS  
CONSULTISSIMIS PRUDENTISSIONIS  
DOMINIS  
DN. CONSULE  
*DN. CONSULE ADIVNCTO*  
*DN. SYNDICO*  
*DN. SYNDICO ADIVNCTO*  
CETERISVE DOMINIS SENATORIBVS  
PATRONIS SVIS OPTIMIS

BENIGIORVM  
IN SE ALIA  
COLLATORVM  
PATROCINIIVE PRÆSTITI

MEMORIAE

PAGINAS HASCE

SACRAS ESSE IVBET

PRIMORDIIS ALTISSIMA  
CONSTITUTISSIMA TRADITIONIS ALTISSIMA

DOMINI

DI CONSISTE

DI CONSISTE

DEFENDENS.

DI CONSISTE

CITERVAE DOMINI SURNOMINA

VALVONS SVAS OLLIMIS




## PRÆFATIO.

**A**rgumentum ad dissertationem quandam publicam de-  
lecturis, & mihi, & elegantissimi ingenii, perpoli-  
tæque doctrinæ, juveni, Nobilissimo Domino Respondenti,  
varia quidem se obtulerunt, quæ & novitate forsan sua se  
commendare, & lectorum quoque nostrorum *expectationi* me-  
lius, quam quod in præsenti delegimus, respondere forsan  
potuissent; nisi, ob plures una rationes, hoc quidem reliquis  
omnibus jam præferre, potius nobis fuisset visum. Tace-  
mus alias, quas, lectorum, scire parum refert: *hoc unicum* ta-  
men tacere non possumus, illud nobis animo firmiter hæ-  
rere propositum, omni data occasione ad *veritatem*, & scien-  
tiarum *utilitatem*, promovendam potius, quam ad *pompam*,  
& *ostentationem*, philosophari. Ne quis in alienam vero  
messim falcem haec ipsa dissertatione nos simul immittere,  
existimer, quando, *ultra* illas disciplinas philosophicas, quæ  
*publice docenda* hac in academia clementissime mihi deaman-  
datæ sunt, pedem nos proferre, in subsequentibus observa-  
bit; præmonendum id publice hic esse putavimus, non adeo  
angustis cancellis doctores publicos circumseptos apud nos,  
lege publica, esse, ut præter scientias, singulis demandatas,  
nihil de reliquis, ad suam, uti vocant, facultatem pertinen-  
tibus, doctrinis, five scripta, five viva, voce tradere cui-  
quam liceat. Quin POTENTISSIMI potius REGIS, & CONDITORIS

NOSTRI MVNIFICENTISSIMI, cautum voluntate est, ne, præter demandatam cuivis clementissime, aliam quamcunque, ad eandem facultatem pertinentem, scientiam, quam quisque se callere existimaverit, & ore, & scripto, audituris, lecturisve, tradere, cuiquam fraudi sit; quod ipsum cum insigni omnino & dissentium, & scientiarum ipsarum, emolumento est conjunctum. Nihil ergo hic nec à nobis peccatur, quando de *aliis* simul, quam de sola *rationali*, & *prima philosophia*, sententiam qualemcunque nostram hic expromimus. Huic accedit, quod ab eo, qui *integrum philosophiarum scientiarum systema* edere invulgus sustinet, postulari jure meritoque poterat, ut & rationem tractationis suæ lectoribus suis aliquando in genere reddat, &, quare *hoc* potius, quam *alio* quoconque, *ordine* omnia tradat, *hunc* potius, quam *aliam* quamcunque, & *totius philosophie*, & *singularum* in eadem occurrentium, & vulgo ad eandem relatarum, *disciplinarum*, *ideam* formet, dilucide aliquando, & pro instituti ratione paulo copiosius, exponat. Præsenti ergo, & sequenti, dissertatione idem jam facere constituimus. Faxit ergo Deus, feliciter!



Dif-



## DISSERTATIO,

*De definiendis justis scientiarum philosophicarum li-  
mitibus,*

P R I O R

§. I.

Vobis in aliis, bene multis, magnique s̄epe momen-  
ti, rebus evenire haud raro videmus, ut, postquam minanda  
semel, sive jure, sive injuria, & pr̄ter omnem fa- philosofia no-  
pe rationem, invaluerunt, atque imperita in primis tione au-  
multitudinis tulerunt plausus, in illarum, post ali- toritas  
quem temporis decursum, non amplius inquiratur fundamentum, magis,  
causæque meritum, quin ipsa potius consuetudo rationis plerisque quam ra- loco, & pro lege, sit; id in ipsa quoque philosophia, disci- plino, valer.  
plinisque philosophicis, quæ & exemplis tamen, & præceptis,  
præferre aliis faciem debebant, cum non parvo illarum  
damno, evenire omnino videmus. Neque instituti vero no-  
stri præsentis patitur ratio, neque, quod alio jam tempore fa-  
ctum id à nobis est (a), opus in præsenti erit, ut, quid philo-  
sophia nomine antiquiori ævo plerisque venerit, jam pluribus  
repetamus, atque, vel de antiquiorum varia universam phi-  
losophiam dividendi ratione, vel divisionis illius, quod ipsi for-

(a) in tribus nempe, *de vera philosophia notione*, dissertationibus, *Virember-  
ga Saxonum 1732. & 1733. ed.*

sau habuerunt, *fundamento*, jam prolixē dispiciamus. Ponamus vero, gravissimas fuisse antiquissimis græcorum philosophis, à quibus isthæc ad nos successu temporis manarunt, rationes, cur vel *tripartitam* illam, CICERONI sapientem memoratam, philosophiaæ divisionem, in *naturalem*, *moralement*, & *dialecticam* (b), vel *bipartitam* quoque illam, apud nos plerumque receptam, in *theoreticam*, & *præticam*, & admiserint, & assensu suo firmaverint, cuius tamen rei nulla fere in residuis illorum scriptis deprehendimus, quæ alicuius momenti sint, vestigia; hoc certe extra dubitationem positum est, illos fere omnes, qui exemplum illorum postea secuti sunt, non *rationibus* evidenteribus, sed solis ipsorum *autoritatibus*, motos, ad nostra fere usque tempora, hanc totius philosophiaæ in partem suam *theoreticam*, & *præticam*, distributionem, atque *utriusque* illius in *subordinatas* suas porro scientias divisionem, tanquam rem, de cuius fundamento despicer amplius necesse non sit, retinuisse, & quasi de manu in manum posteris tradidisse, sicque ex solo antiquitatis, autoritatis, & consuetudinis, præjudicio ab alijs ad alios semper transmisisse. Ut in ipsam enim philosophiaæ notionem accurate inquirerent, ejusque cum aliis scientiis *discrimina*, & *differentias*, ex eadem ipsa, prouti par quidem erat, definirent, quasve, qualesve, pro hac ejusdem supposita notione, *partes*, & *scientias*, referre ad eandem necesse esset, cogitarent; de eo vero vix centesimum, immo millesimum, vel eorum, qui ipsi tamen integra philosophiaæ, disciplinarumque philosophicarum, systemata & compendia condiderunt, aliisque has scientias tradiderunt, solicitos fuisse, deprehendimus. Ita recentum semel usu erat; ita ab aliis erat traditum; has, & non alias, scientias ad philosophiam majores nostri retulerant: num bene vero, & pro rei merito, id fecerint, an minus? num philosophiaæ notionem isthæc adæquate exhaustiant, an potius aliquid vel deficit adhuc, vel etiam abundet? & quæ ejusmodi erant alia, id vero curabatur à nemine. Pecorum fere ritu sequabantur plerique, ut SENECA scite ait, *antecedentium gregem*,

per-

(b) vid. ejus quæst. acad. lib. I. p. 8. opp. ex edit. D. Gorhoffedi in 4. et lib. IV. p. 46. sq. ut & de finib. bon. & mal. lib. V. p. 142. sq.

pergentes, non qua eundum est, sed qua itur (c). Neque hodie etiam inter philosophos deesse, qui non majori circumspectione, & prudentia, hic rem suam agant, res ipsa, & per frequens experientia, satis superque loquuntur.

## §. II.

Ex auctoritate ergo, & usu communī, adeoque præjudicio *Quæ disci-*  
*quodam, potius, quam distincta quadam definitaque ratione, plinarum*  
*uti toti philosophia sui, hoc modo, præsumuntur, apud plerosque,*  
*utriusque philosophiæ, & seorsum, & in se, spectatis, non minus valet. Legebant & plus illu-*  
*hic sequentes olim antecedentium suorum vestigia, neque ali-*  
*am habebant, cur hæc, vel illa, in hac illave disciplina philoso-*  
*phica, pertractarent capita, rationem, quam quod idem ab a-*  
*liis, se superioribus, factum eodem modo esse, observabant: pa-*  
*rum interea iterum de eo solliciti, num ipsius illius disciplinæ*  
*fini, totiusque simul philosophiæ notioni, id satis commode re-*  
*steque conveniret, an vero minus. Quæ enim alia, quæso, fu-*  
*it ratio, ut rem exemplo quodam illustremus, cur v. c. per tot*  
*integra secula, doctrina ethica nullis aliis, quam jejunis illis de*  
*summo bono, de virtutibus intellectualibus, & moralibus, de idoneo ethices*  
*subjecto &c. quæstiunculis, & disceptatiunculis, personarit? Quæ*  
*alia ratio, quod in logica, seu uti potius vocabatur, dialectica, ni-*  
*hil, præter terminus predicabiles, seu antipredicamentales, predicar-*  
*mentales, & postpredicamentales, variasque propositionum, & syllogis-*  
*morum, scribilingines, atque, post pauca, eaque magnam partem*  
*inepta, de demonstrationibus, decantatorum istorum locorum dia-*  
*lecticorum, vel uti aliis vocantur, topicorum, & elenchorum sophisti-*  
*corum, infastos labyrinthos, & scopulos, à tot seculorum, loco-*  
*rum, & religionum diversarum, scriptoribus fuerint tradita?*  
*Quæ alia ratio, quod in metaphysica nil, præter illud unum, ver-*  
*rum, bonum, cum reliquis suis, non aliter, ac super filo quodam*  
*adductis, & inter se copulatis, ineptis metaphysicis, apud tot*  
*doctores, & scriptores, metaphysicos vel legerentur, vel audi-*  
*ren-*

(c) de vita beata cap. I.

rentur? Ut alias philosophiarum partes, & scientias jam taceamus. Scilicet viderant, ita rem ab aliis, quorum proportione sufficiente ipsis erat auctoritas, esse traditam. Quod illi ergo præverant, hi sequebantur, exemplum, quum quam sequerentur, rationem nec haberent, nec studerent assequi. *Inde ista tanta*, quod SENECA iterum perelegans *l.c.* est monitum, *cōservatio aliorum supra altos ruentium*; quod non *ad rationem* scilicet, ut ipse præfatur, sed *ad similitudinem*, vivimus.

## §. III.

*Idemque vel apud recentiores locum invenire, ostenditur.* Neque multo propitiora deprehendimus scientiarum philosophicarum fata, ex quo in *eclecticorum* philosophorum manus eadem inciderunt. Neque enim vel de determinanda philosophia notio in genere, vel de justis singularum scientiarum philosophicarum limitibus rite, accurateque, constituendis, plerosque illorum multum fuisse sollicitos, deprehendimus. Philosophiam enim non aliter fere, quam *patrium* quendam *fundum*, plerique illorum ingressi sunt, atque non tam de ejusdem vel amplificandis, vel modeste etiam cōercendis, limitibus, quam ornandis potius, propriisque suis speculationibus ditandis solum, possessionibus eius cogitarunt. Hoc est, ut apertius rem omnem eloquamus, non de eo cogitarunt illorum plerique fere omnes, ut sub initium tractationis & philosophiarum in genere, & singularum scientiarum philosophicarum, prouti par quidem erat, inquirerent, iurene, an injuria, hæc, vel illa, sive ad philosophia totius ambitum, in genere spectatum, sive ad hanc illumine sigillatim scientiam, vel disciplinam, philosophicam à superiorum temporum doctoribus essent relata, si perquam pauca, quæ vel lusco etiam in oculos forsau incidissent, excipiamus; sed de *eo modo* recentiores fere omnes solliciti potissimum fuerunt, ut *acceptam à patribus possessionem* & philosophia in genere, & singularum ejus scientiarum, non solis PLATONIS, ARISTOTELIS, EPICVRI, stoicorum, scholasticorum, aliorumque sequiorum, sed *suis etiam propriis*, luminibus collustrarent, de illisque adeo argumentis, quæ ab ipsis ad philosophiam, scientiasque philosophicas, relata erant, hisque quodammodo con-

connexis, & similibus, aliis, *propria* sua *cogitata* promerent, sicutque in fundo, hæreditario quasi jure jam acquisto, pro ingenii, viriumque suarum, conditione, & copia, solum adficarent. Atque eti tentata in *nonnullis* scientiis, quod non omnino negamus, à quibusdam *aliqua*, eaque non infelix, est *mutatio*; & in plerisque tamen reliquis eadem, ad nostram usque, patrumque nostrorum, atatem, fere est *neglecta*, & male quoque, infeliciterque, in *nonnullis* *cessit*, & de *universa* tandem *philosophia* id à quoquam cum successu, & pro rei merito, factum, immo vel tentatum saltim, esse, vix constat. Ea ergo querela nostra, ut mentem nostram lectores rite percipient, summa est: *neglectum* ad nostram fere usque atatem à plerisque scriptoribus philosophicis esse, &, quinam *philosophia in genere*, in oppositione ad *alias* scientias quascunque, sint *præsumendi limites*; &, quibus terminis, finibusque, *singula scientia philosophica*, in oppositione ad se *invicem*, circumscribendi sunt; eoque ipso non parvam, & scientiis ipsis noxam, & illarum studiosis remoram, in illarum cognitione esse injectam.

## §. IV.

Uti prius vero illud ex confuso illo, quem omni fere anno de *Causa tam  
men eius rei indicatur*.  
philosophia ipsa in genere plerique sibi formarunt, conceptu  
ortum imprimis est; sic *posterioris* hoc, quod ad singulas scientias  
spectat, ex aliis præterea fontibus adhuc provenit, de quo ut  
troque pauca hic adhuc monenda nobis veniunt. Etenim sa-  
tis mirari nunquam possum, qui fieri potuerit, ut per tot se-  
cula, tot philosophorum, hoc est, hominum, philosophiam  
proficiunt, catervi de tot aliis, ad philosophiam ab iisdem  
ipsis relatis, inutilibus saepè, ineptisque, & spinosis, quæstio-  
nibus magnis animorum motibus, ad interencionem usque,  
saepè disputaverint, & ne quidem in mentem tamen venire si-  
bi passi fuerint, quid totum illud sit, de cuius singulis argumen-  
tis, & partibus, adeo acerrime inter se disceptarent, quidque  
eius potissimum notione comprehendendi existimarent. Illis e-  
nem temporibus, quibus omnium maxime philosophia flore-  
bat studium, (si forens modo appellari illa philosophia ætas  
pot-

poteſt, ubi unius hominis in philoſophia autoritas ad infaniam fere usque colitur, non deprehendimus, quemquam de for- manda diſtincta philoſophia notione cogitasse, aut talē e- jus concepiſſe definitionem, ex qua, qua vis hujus vocis fit, perſpici diſtincte potuifſet. Unde & communis hujus conſuetu- dinis cauſam ſe melius agere non poſſe putabat BARTHOLOM. KECKERMANNVS, vir, ultra ſeculi morem philoſophice doctus, quam, ſi philoſophiam in genere definiiri poſſe plane negaret (a). Quis autem neſcīt, inde à conſtitutis fere à CAROLO M. in ſcho- la parifienſi artiſtis, hoc eſt, ſeptem artium liberalium docto- ribus, illorumque in philoſophos, poſt receptam ARISTOTELIS, philoſophi, interpretationem, conſecuta poſtea quaſi meta- morphoſi, vel totum illum ſcientiarum orbem, qui philoſophorum, in ſcholis noſtriſ illuſtribus, ordini vel hodiénum attribuitur, philoſophie nomine veniſſe, ſicque id omne, quod neque ad theo- logiam, neque ad jurisprudentiam, vel medicinam, reſerri ex omni eruditioне poſteſt, ſub hoc nomine comprehendи coeptiſſe, quaе omnium conſuſſima notio eſt (b); vel illam etiam eruditioне partem intelligi ſub hoc vocabulo coeptiſſe, quaе non diſtincto modo hiſ ſcientiis, quin hiſtoriarum etiam, linguaſum omnium, anti- quitatū, iſpiuſque matheſeos, cognitioni & ſtudio ſimul oppo- niuntur, quaе appropriata magis, & determinata; ejusdem notio eſt (c)? Neutro vero ſenſu accurate unquā ab antiquioribus philoſophis, inde à conſtitutis inter nos ſcholis publicis, ean- dem definitam eſſe, conſtat. Et, quum hunc defectum recentio- res

(a) vid. ejus praecognita philoſ. lib. I. cap. I. p. 8. Et add. diſſ. de vera philoſ. notione prior §. XX. p. 41. sq.

(b) unde operam certe, oleumque, perdiſit cel. JO. CHRIST. LANGIVS, quando in protheoria erudit. humanae univerſae exp. X. queſt. 30. q. ex eruditio- nis omnis cum adiſcio facta comparatione conſuſſimi hujus ſignifi- catus rationem aliquam reddere, ſicque fundamentum rei alieniſus indica- re, ſtuduit, quaе fundamento tamen omni caret: unde & in meros, eosque non ſatis ſemper aptos, ingenii lufus, quicquid ibidem affertur, abire de- bere, perſeſſe patet.

(c) conf. quaſi ſuſius hac de re dicta ſunt, in excitata modo diſſ. de vera philoſ. phie notione priori §. 13. & 15. sq. & add. prolegom. de philoſ. in genere ubi- rioris in univerſam philoſophiam introductionis Tomo I. premissa §. 14. sq.

res nonnulli philosophi perspicentes, concipere ejus definitio-  
nes quasdam coeperint; tales certe à plerisque illæ formatæ  
sunt, quibus res omnis *intricata* magis, quam *extricata*, est, si-  
nesque antiqui prater rem potius moti, quam sapienter fixi,  
constitutique, censerter merito poterant. Quis enim ferat in  
CARTEARIO, at quanti nominis philosopho, quod philosophiæ  
quidem voce *sapientia* studium sibi denotari indicat, per *sapien-  
tiam* vero non solum *prudentiam* in rebus agendis sibi intelligi, ve-  
rum etiam *perfectam* omnium earum rerum, quas homo *novisse* pot-  
est, *scientiam*, que  $\exists$  vita ipsius regula sit, & *valetudini conservan-  
de*, *artibusque omnibus inveniendis, inseriat*, immediate statim  
subjicit (d)? Nonne hoc enim modo *artes & futoriae, & farto-  
ria, & pistorie, & qua non?* (nam & hæc omnia tales sunt, quas  
*novisse* homo potest, *scientia*,) in philosophiæ, scientiarumque  
philosophicarum, orbem erunt cooptanda? Quis porro ferat,  
ut ad recentiores quosdam veniamus, v. c. in RUDIGERO, ali-  
isque, ipfi hac in parte *similibus*, quod *philosophium cum erudi-  
tione omni in genere, ratione sola cognita, pro uno, eodemque, ha-  
bent?* quum hæc æque fere magna sit, quam unquam alia,  
circa vocis hujus usum obtinens, confusio? Quis in celeb. tan-  
dem WOLFFIO ferat, quod *philosophiam scientiam possibilium,*  
*quatenus esse possunt, eine Wissenschaft aller möglichen Dinge, wie und*  
*warumb sie möglich sind, definit* (e)? quam tamen ejus definitio-  
nem tot *pistaci philosophici* hodie aliis iterum quotidie fere occi-  
nunt, atque scripitiunculis suis philosophicis orbi eruditio, vel  
invito, & nauseanti, obtrudunt. Secundum *tales* enim philosophiæ  
*notiones, & definitiones*, si ejus jam cum aliis scientiis essent  
constituendi *fines, limitesque, integraque simul ejusdem condensa*  
essent *systemata*; quam *confusum* inde proditurum esset *chaos*,  
satis quilibet, vel nobis non monentibus, intelligit. Ut pro in-  
signi adeo horum omnium in philosophiam adhuc sit habendum  
merito, quod, his suis notionibus *integrarum* quandam totius  
phi-

(d) vid. ejus *epist. ad interpret. princip. philos. gall.* ipfis hisce principiis pre-  
missa, p. 1. & 2.

(e) vid. ejus *log. german. proleg.* §. 1. & *log. lat. discurs. prælimin.* §. 29. sq.

philosophiaꝝ pertractionem attemperare, nondum sustineunt (f).

## §. V.

*alia vero quæ singu-  
tas disci-  
plinas ap-  
teruntur  
guarum  
hic prima;* Quod ad *singulas* vero, quæ tradi in philosophia, atque ut to-  
tiderum ejusdem partes spectari, solent, *disciplinas* attinet, *tripli-*  
*plinas* *af-* *cem* mihi potissimum videor observasse *casum*, quæ hacten-  
fere plerisque obsuit, quo minus accurate, & proupar erat, li-  
mites illarum semper definiverint. Inter has *prima*, eaque, si non  
principia, ex principiis saltim, esse mihi videtur, quod plerique,  
qui scientiam quandam philosophicam vel scripto peculiari complecti, vel ad aliorum quoque ductum tradere solum,  
confuerunt, *sine omnibus*, ipsi tractationi systematica & do-  
ctrinali cuiuscunq; scientiæ præmittendis, atque ad *bistoriam*  
ipsius pertinentibus, *prolegomenis*, ad rem statim, five scientiam  
ipsam, tractandam se accingere, sicque illotis quasi, quod prover-  
bio dicitur, manibus eandem aggredi solent. Quum enim, qui  
scientiam aliquam philosophicam ita pertractare suscipit, defini-  
re prius nequeat, cum, *qualem* *scientiam* olim, hodieque, *alii* can-  
dem fecerint, tum &, quamnam, qualemve, *ipse* sub ejus no-  
mine intelligat, quidque ad ejusdem ambitum, & quare hæc,  
& non alia, eodem pertinere existimet, & quæ ejusmodi ad-  
huc plura sunt; qui fieri aliter potest, quam ut *vel communis*,  
aliisque jam receptus, *tractandi* *mos* cœco fere impetu ipsi so-  
lum sequendus, vel referendum etiam ab eo ad disciplinam  
quacumque, sit, quicquid *casus* potius, & *idearum* confusa *af-  
ficiatio*, vel *præceptorum* quoque *autoritas*, quam *ratio*, ipsi suadet,  
cujusque nec *ipse* forsitan rationem ullam sufficientem habet,  
nec reddere etiam aliis potest? Ettamen satis inter omnes con-  
stat, tantum non ab *omnibus*, ad nostram fere usque atatem,  
scriptoribus philosophicis, *sine omnibus ejusmodi* *prolegome-  
nis*, quæ in originis, progressus & incrementa, tum & naturam  
atque constitutionem scientiæ alicujus rite inquirant, plerasque  
pertractari scientias solere: unde & tum à plerisque solum itur,  
quā

(f) conf. quæ de his definitionibus omnibus fusius jam dicta sunt in disserr. de  
vera philosophie notione, in primis diss. prior. §. 22. sq. & diss. poster. §. 1. sq.

quâ itum ab antecessoribus ipsorum est, non quâ cundum erat. Quoniam enim, à quibus, & quo ab aliis modo, scientia aliqua tradita olim sit, hoc modo & ipsos, & quos eandem iterum docent, ignorare oportet; unde illa jam hanc illamve successive faciem acceperit, numque illa fini ipsi præstituto recte quoque conveniat, an vero minus, aliaque ejusmodi, ad veram ejus notionem formandam, limitesque rite præfigendos, necessaria, eosdem simul ignorare, necesse est.

## §. VI.

*Altera, quæ confusionis hujus esse nobis videtur causa, illud secunda;*  
 in primis est, quod multis hic obrepissim deprehendimus, *prejudicium*, quod *methodus* nempe tractandi in disciplinis philosophicis arbitraria sit, & esse debeat, indeque & leges quasdam certas vel non ferat, vel nullas sàltim habeat. Quod etsi in genere quidem de omni omnino tractandi methodo valet; sine *cantione* tamen, & *restrictione* justa, id à multis, qui superficiaria modo rerum cognitione superbunt, eademque sibi mirifice placent, id præfidenter, & præcipitanter, nimis ad scientias philosophicas applicatur. Etenim *lege* quidem, sive *divina*, sive *humana*, nec definitum adhuc est, nec definiri etiam commode potest, *qua* præcise *methodo* in tractandis scientiis, cum quisunque in genere aliis, tum illis quoque sigillatim, *quæ philosophie* partem aliquam constituant, uti quisque debeat; adeoque liberum illud eatenus adhuc est, & esse omnino debet. Cavendum tamen quoque est, ne sub *methodi*, hoc est, *modi* tractandi, nomine ipsam etiam *objecti* notionem simul complectamus, illudque adeo ipsum cum *methodo* simul *arbitrarium* faciamus: quod illi tamen omnes plerumque faciunt, qui suis qualiscunque scientiarum philosophicarum pertractionibus, *confusionibus* forsitan rectius dixeris, *libertatem* *methodi* semper prætexunt, hocque suco gratiam aliquam miscelis suis apud imperitos rerum vel lectores, vel auditores, non raro emendantur. In *ejusmodi* enim scientiis, quarum objectum per *ipsum* Scientia nomen satis fixum, determinatumque est, qualia pleraque in *iure*, *theologia*, *mathesi*, *aliisque* ejusmodi eruditiois huma-

næ partibus sunt, quibusque adeo mutationis nihil à methodi diversitate metuendum est; arbitrariam illam omnino, si formam eisdem externam, species, esse debere, extra controversiam puro omnino esse ponendum (a). Quæcumque vero scientiarum objecta vel per *usum ipsum*, communī consensū probatum, vel per *ipsam discipline* aliquis *appellationem*, nondum adeo determinata sunt; in illis etiam tractandi *methodus* cum *objectione*, & *objecta* cum *methodo*, adeo arctissimo nexus conjuncta plerumque esse solent, ut nec illa sine hac, nec hac sine illis, mutari facile queant, alterumque sic per alterum semper determinetur (b). Qum in his ergo scientiis multum, per ipsam tractandi methodum, perfectionis objecto ipsi, ejusque tractationi, vel accedat, vel decedat; satis jam apparet, idem esse, quando nonnulli, methodum arbitrariam etiam hic esse debere, sine restrictione, & determinatione omni, semper clamitant, ac si disertis verbis contendarent, parum referre, atque à solo cuiusvis arbitrio pendere, quid ad hanc, illamve, scientiam philosophicam referendum quisque esse censeat, atque

(a) sic enim *theologia expositio* v. c. *objectum* vel per *ipsum* ejusdem *nomen* adeo jam determinatum est, ut, quacunque etiam methodo hic rem tractes, non metuendum facile sit, ne vel cum *historia ecclesiastica*, vel cum *alia etiam quadam theologia parte*, eandem facile confundas. Ob eandem rationem non temere etiam quis, quacunque etiam tractandi ordine utatur, vel *jus civile*, aut *ecclesiasticum*, cum *jure feudali*, vel in *mathesis arithmeticam*, & *geometriam*, cum *optica*, vel *astronomia*, vel *alia quacunque ejusdem parte*, commiscebit, aut *objectum*, uni *destinatum*, & *proprium*, in alteram inferet; quacunque etiam ratione ejusdem tractationem aggrediatur. Per ipsa enim hæc scientiarum harum nomina objecta illarum satis plerumque determinari, quivis facile, vel nobis non monentibus, intelligit.

(b) sic, qui in *logica* scientia illa aristotelicorum utuntur methodo, qua totam illam vel in *partem generalē* & *specialem*, *analyticam* & *dialecticam*, dispecebant, vel secundum pervulgatas illas *tritementis operationes* etiam pertractabant; illos *multa* omnino, ad hanc scientiam merito pertinentia, qua *bis* illorum *cancellis* includi nequeunt, præterire necesse est, qua tamen, si *alium elegissent* tractandi ordinem, comode referri eo potuissent: ut alias jam *disciplinas* taceamus.

que num sola, & omnia, illa in eadem pertractet, quæ fini ipsius præstituto convenient, an partem modo aliquam eorundem, & quotam, qualemve, eidem relinquat; vel etiam, num particulari qualisunque ejusdem, cum aliis cujuscunque disciplinæ philosophicæ portiunculis quibusdam, in unum quoddam chaos, pro arbitrio suo, commisceat, an hæc omnia potius à se invicem distinguat, atque ad sedes suas proprias referat: quod nemo tamen rerum intelligens, puto, probaverit. Adeo parum, quid loquantur, cogitant, qui, ubi de disciplinarum in primis philosophicarum tractatione sermo incidit, re quasi ita bene gesta, quæcunque in ipsos converti tela poterant, æneo veluti isto, quem in promptu statim habent, clypeo omnia à se repellunt, quod methodus hic arbitraria esse debeat, indeque nec modum sibi ponи vel posse, vel debere, existimat, quid, quoive modo aliquid, in singulis scientiis pertractandum ipsis, aliisque, veniat.

## §. VII.

Neque vero diffiteri possumus, dupli huic confusione, in-  
justæque in disciplinis philosophicis tractationis, causæ tertiam  
illam adhuc accedere, quam in non paucioribus, quam pri-  
ores illas, scientiarum philosophicarum scriptoribus itidem ob-  
servamus. Scilicet, sunt illorum, quod inter omnes constat,  
non pauci, qui non integrum doctrinarum philosophicarum or-  
bem, quin unam modo, alterante, disciplinam philosophicam  
scripto complecti sibi proposuerunt, actuque ipso solum complexi sunt. Horum ali, quando jam occasione doctrinarum qua-  
rundam, ad suam disciplinam pertinentium, in alia nonnulla, ad  
alias scientias philosophicas pertinentia, incident, quibus lucem  
his ipsis doctrinis suis affundi aliquam posse censem; ad ipsa  
hæcce, alius plane scientiæ, capita statim dilabuntur, occasionem  
hancce scilicet arripientes, sua de iisdem promendi cogitata,  
quam sibi alias defuturam vident. Infaretur hinc sàpè ejus-  
modi scriptores altius longe scientiæ dogmata in illam, quam per-  
tractandam sibi sumserunt, scientiam, illamque per omnes suos  
ambages, & anfractus, prolixè prosequuntur, tumque demum,

Et tertia  
tandem  
allegatur.

locu-

loculis suis ita excusis, ex diversiculo quasi in viam priorem revertuntur. Nævus, fateor, hic omnino est, nexus tractationis systematicæ alicujus scientiæ mirifice turbans, nonnunquam & plane luxans, in nulloque adeo scriptore systematico, cuiuscunque scientiæ philosophicæ, ferendus. Magni tamen nominis, & meritorum insignium, philosophis, illis cumprimis, fere familiaris error ille est, qui tales disciplinas ex philosophicis pertractant, quarum *usus*, & *applicatio*, in aliis scientiis philosophicis præ ceteris est insignis (a). Ati vero, qui tales sibi scientias in philosophia pertractandas proposuerunt, quæ ad objectum suum solide, & pro rei dignitate, pertractandum *alitarum* quarundam scientiarum philosophicarum doctrinis, tanquam *principiis*, & *fundamentis* conclusionum suarum, *indigent*, quoniam illas ipsas doctrinas, tanquam in aliis scientiis jam à se demonstratas, explicatasque, supponere jam in hac sua, adeoque & in reddendis rationibus suarum conclusionum provocare ad easdem, nequeunt, *bis* demum explicandis, & demonstrandis, illis operam aliquam dare incipiunt, sive argumenta, à scientiæ suæ *objeto* longe aliena, eidem *admiscent* (b). Neque facere fere aliter

(a) non à veronos aberrare existimamus, si, præter *alios* multos, magna quoque illa in philosophia, suo merito, nomina, LOCKIVM, MALEBRANCHIVM, *arts cogitandi autorem*, & recentissime cel. CROSAM, ad hanc classem referamus, quippe quorum, in scriptis & systematicis illorum logicis factæ, argumentorum diversorum *confusiones*, & *miscela*, vis ferenda, ex hoc cumprimis fonte promanasse videntur.

(b) patet hoc v. c. exemplo illorum, qui, quoniam plenam forsitan, perfectaque, *obligationis*, in primis *externæ*, in *jure nature* ideam dari non posse, vident, nisi *Dei*, tanquam *supremi legislatoris*, hic præstribatur *existentia*, ad hanc etiam demonstrandam in J. N. se convertunt. vid. v. c. PVFFENDORFFIVS de O. H. & C. lib. I. cap. IV. §. 2. sq. HOCHSTETTERVS in colleg. *Pufendorf. exercit.* IV. §. 28. sq. & recent. cl. MARTIN. HASSEN in *Synopsi scientia de prudentia moralis universa*, Vitemb. a. 1721. in 4. ed. p. 22. sq. qui ad *ethicam* suam illa refert, ex eademque causa *multa* quoque *alia* ejus pertractationi adhuc *admiscer*, que *nullo* plane modo ad eandem pertinent: doctrinam v. c. *de anima humana*, generatim spectata, ejusque *orta*, *sede in corpore*, *spiritualitate*, *immortalitate*, & *immortalitate* &c. tum & p. 71. sq. doctrinam *de corpore humano* &c.

ter posunt, qui extra totius systematis philosophici ambitum tales scientias explicandas sibi sumunt, quarum objecto sua nec certitudo, nec dignitas, constare poterat, nisi ab *aliarum* scientiarum philosophicarum doctrinis *lucem* aliquam ipsis foenerentur. Hoc ipsum vero satis superque docet, non posse tales scientias facile *extra* totius *systematis* philosophici *nexus*, prouti par quidem erat, pertractari, *sororiumque* adeo inter ipsas disciplinas philosophicas esse *vinculum*, ut altera, sine altera, vel satis prodeſſe, vel intelligi etiam, *capique*, satis, nequeat. Unde nec *particulae* singularum illarum inter se *commiscentiae*, & tanquam planatae in alienum agrum inferendae, sed singula potius *integra* pertractandae, erant, si quis suo vel docendi, vel discendi, satis vellet facere officio. Quibus hoc vero non liceret facere, illos rerum etiam philosophicarum pertractionem aliis, praestaret, relinquere, quam tali miscela parum & sibi, & scientiis ipsis, consulere.

## §. VIII.

Ex his ergo potissimum fontibus omnis illa, quæ in disciplinarum philosophicarum pertractione apud perquam multos obtinet, *confusio* oritur, & *amerbodia*: qui adeo, si evitari hæc in posterum in iisdem à docentibus, vel scribentibus, debent, studiose ab omnibus illis, qui bene scientiis philosophicis cupiunt, sunt obſtruendi. *Anima* enim quasi, *vitaque*, scientiarum philosophicarum *ordo* tractandi *justus* est, dicique vix potest, quantum hic ab eodem penderat. Ne nimis tamen *scrupulosi* hic, & quasi *microscopi*, in definiendis rerum philosophicarum limitibus illis omnino esse videamus, qui, quoniam *omnia* scire cupiunt, *mediocri* admodum, & *superficaria* *singulorum* cognitione plerumque contenti, *exequi* in scientiis vix vel sectantur, vel propter rerum etiam, quas sibi pertractandas proposuerunt, multitudinem sectari possunt, non parum verendum est. His ergo, illisque simul omnibus, apud quos multa sapientia valet, rationem instituti nostri ut reddamus, necesse est: ne saltim, quod fieri quidem plerumque, experientia teste, solet, quod *assequi* forsitan ipsi nequeant, invidiose virtute.

*Quare* *hac*  
*vero* *sol-*  
*lenda* *fit*  
*confusio*,  
*offendi-*  
*tur*.

*perare* malint. Scilicet eam potissimum ob *causam* de definiendis scientiarum philosophicarum limitibus sollicitum philosophum esse volumus, quo *singulis* istis disciplinis major & certitudo, & evidētia, concilietur, majorque sic earundem & utilitas, & necessitas quoque, apud omnes eluceat. Quoniam scientiarum enim philosophicarum pleræque, post tot tantasque factas earundem *mutationes*, longe *aliam* tandem successive faciem induerunt, atque à *se ipsis*, primisque suis initiis, tandem plane fuerunt factæ *dissimiles*, & hoc, tamen, non obstante, *perantiqua* sua, atque apud ipsos *græcorum* philosophos jam recepta, *nomina* plerumque retinuerunt; ipsum jam cuiusvis disciplinæ philosophicæ *objectum* per commune, & apud omnes receptum, earundem *nomen* non satis determinatum est. Neque tamen, quod jam supra monuimus, vel *divina*, vel *humana*, quadam *lege* constitutum hæc tenus est, *quid* in *quavis* disciplina philosophica retractari à philosophis debeat. *Cuivis* ergo pro arbitratu suo rem suam hic *agere*, atque, *quicquid* ipsi modo profūx vel scientiæ modulo, vel idea, conceptusque de hac illava scientia diversitate, arriserit, in eadem *retractare* integrum erit, *nullusque* adeo unquam in philosophia sperandus *confensus* erit, si de *justis*, determinatisque, singularium scientiarum limitibus non fuerimus solliciti. Atque etsi, *eodem* omnino redire, videri poterat, dum in philosophia modo ipsa aliquid retractetur, num ad *hanc*, an ad *aliam*, sigillatim scientiam referatur, adeoque & omnem illam, in definiendis scientiarum istarum limitibus, sollicitudinem *inanem* esse, & *superfluam*; longe tamen nos, *alter*, censemus, esse judicandum. Non id enim, *initio*, solum agimus, quando de constituendis accurate limitibus illis laboramus, ut ne nihil *superflui*, quodque ad alienum potius forum pertinebat, præter rem, indolemque, scientiarum illarum, in easdem intrudatur; verum id etiam potissimum simul intendimus, ut ne quid illorum, quæ ad objectum alicujus scientiæ rite, & pro dignitate sua, retractandum omnino requirebantur, temere in eadem *omittatur*. In utroque enim hic quotidie peccatur; ancepsque hæreo, utrum cum majori scientiarum detimento coniunctum censi ser debeat. *Deinde* vero & illud

illud probe annotandum est, non eodem omnino redire, quo quid-vis loco in disciplinis philosophicis perractetur. Sunt singulis enim disciplinis philosophicis propria sua, & quasi *domestica*, *principia*; sunt singulis quoque *argumenta*, & *objectiona*, sua pecunaria, & ab aliarum scientiarum objectis plane separata; sunt tandem etiam singulis *proprii*, & peculiares, sui *objectorum* illorum inter se *nexus*. Num parum vero resert, resque eodem reddit, sive dogma aliquod ex *proprietate* suis, *domesticisque*, an ex *alienis*, ducatur principiis? sive in *connexione* cum *homogeneis* per tractetur argumentis, quæ lucem ipsi debitam affundunt; an extra omnem cum illis omnibus, ex quibus intelligi longe facilius poterat, *nexus*? sive tandem *antecedentia* cum *consequentibus* cohercent, hisque sua concludendi *fundamenta* sufficient, plenamque sic, & *jusquam*, rei alicujus *ideam* forment; an ut lacra unius ejusdemque corporis membra passim *dispersa* jaceant, vixque originem suam referant? Certe, ubi principia se junguntur à conclusionibus suis proximis, proximaque conclusiones à suis principiis, ubi, quæ ad completam rei alicujus notionem formandam faciunt, vel in particulas, passim dispersas, discerpuntur, vel alienis, eo non pertinentibus, interpolantur; ibi omnis omnino rerum illarum & *evidentia*, & *certitudo*, & *nexus*, expirant, inque meras omnia *opiniones*, parum, vel nihil etiam, scientiam nostram juvantes, abeunt, tandemque omnia tantum *superficie*, nihil *solide*, vel cognoscitur, vel cognosci etiam potest. Annon satis vero errorum, fictionum, & dissensionum, hactenus in philosophia fuit, ut de medela, ipsis opponenda, fontibusque tot malorum successive obstruendis, serio tandem cogitare necesse sit? Esse vero illum ipsum, quem hic indicamus, unum ex *principiis* illis, vel mediocri adhibita attentione rerum intelligentes facile perspicient; adeoque nec ceteri, cur diligentiam nostram hic reprehendant, re satis perspecta habebunt.

## §. IX.

Ut re ergo ipsa, qui, qualesque, singulis disciplinis philosophicis praefigi vel possint, vel debeant, limites, quamque va-

*Rette vero  
philos. o-  
mnis  
C 2  
rii,*

*miss in  
theoreti-  
cam &  
practicam  
dividitur.*

iii, si id negligatur, in iisdem oriuntur errores, distincte com-  
monstremus; per singulas ordinem justo, postea ibimus, quid-  
ve de singulis istis nobis videatur, paucis tum annotabimus.  
Supponimus vero, post veram philosophia notionem in gene-  
re (§. 4.), hic, quod & alio tempore, loco, brevibus iam e-  
victum est (a), & hoc potissimum loco paucis adhuc e-  
vinci poterit, totius scilicet philosophiae in partem suam theo-  
reticam, & practicam, divisionem & fundamentum omnino suum  
habere, & alios quibuscumque merito preferendam esse. Quæ à  
recentioribus enim, & antiquioribus, excogitatæ sunt aliae  
philosophiae partitiones; illæ vel eodem, qua rem ipsam, cum hac  
nostra redeunt, atque voce magis, quam distinguendi funda-  
mento, ab eadem recedunt, vel difficultatibus variis, quibus hac  
caret, laborant, vel tandem ad philosophia ambitum etiam refe-  
runt, quæ renovanda tamen potius ab eodem erant. Per se ve-  
ro rerum intelligentes satis vident, quod, et si quicquid in phi-  
losophia tradendum est, vel propterea ad praxin ultimato ten-  
dere debeat, quod tota philosophia ad felicitatem nostram, quant-  
um fieri ratione sola potest, promovendam comparata esse  
debet; majoris tamen perspicuitatis, & ordinis melioris, gra-  
tia ea omnia, quæ ubiorem disquisitionem requirunt, & non pro-  
xime, atque immediate, cum conclusionibus practicis coherent,  
à reliquo doctrinis & capitibus, quæ immediate conclusiones  
quasdam practicas pariunt, separantur, utque sic eo melius in  
illorum naturam, & relationem ad felicitatem nostram, cogni-  
& distinctas suas classer revocentur. Hoc enim fundamento non  
totius solum philosophiae in partem suam theoreticam, & practi-  
cam divisio; sed utriusque etiam ejus in peculiares suas, utrique  
proprias, disciplinas subdiviso, non minus nititur. Mirifice enim  
doctrinarum practicarum nexus, & evidentiam, turbaret, si circa  
singula, de quibus illæ præcipiunt, & ex quibus sua concluden-  
di fundamenta petunt, digressiones prolixiores, quales tamen ac-  
cu-

(a) vid. prolegom. de philosoph. in genere, Tom. I. uberior introduct. premisse,  
§. 24. sq.

curatior earundem disquisitio omnino postulat, instituenda, resque adeo ibidem occurrentes, cum singulis suis circumstantiis, fusi exentienda, essent; hisque demum peractis in viam quasi redire, atque in practicis istis capitibus porro pertractandis progrederi, liceret (b). Et, quum inter ipsa illa practicarum conclusionum fundamenta multa occurrant, quae extra nexus cum reliquis, affinitatem aliquam cum iisdem habentibus, argumentis, ne digne quidem, solideque, pertractari possint; variis istis, ejusmodi rerum practicarum pertractioni interspersis, digressionibus solidae ipsarum cognitioni ne satis quideim confuleretur, sive, si theoretica practicis ubivis miscerentur, practicarumque nexus perpetuis isti modo miscelis, & digressionibus prolixioribus, semper turbaretur, mira utriusque confusio, cum praestissimo utriusque damno, oriretur. Qui duas ergo distinctas philosophia, theoreticam nempe, & practicam, constituerunt partes, illos bene omnino de eadem, existimamus, esse meritos; illudque modo sedulo inculcandum esse, arbitramur, ut ne præpostere hanc partitionem accipiamus, quin tanquam unius potius, ejusdemque, corporis membra has partes semper solum consideremus, quas, qui rerum suarum fatigere in philosophia cupit, & que infeliciter à se invicem separaret, ac qui pervulgatam illam MENENII AGRIPPÆ fabulam vellet agere, ventriculumque à manibus, pedibusque, bosque ab illo, actu ipso segregare. Marcescit enim practica pars sine theoretica, atque robore, nervis, & vita sua, caret; theoretica vero, contra, sine practica sterili plane redditur, & inutilis, inanumque speculationum loco recte reputatur.

## §. X.

(b) v. c. si quis officia erga seipsum tradere in jurisprudentia naturali vellet, opus omnino foret, ut, si cognitionem suis ipsis, ratione anima, corporisque, spectati, nondum ex aliis scientiis posset præstruere, utramque, hac occasione, simul fusi inculcaret, siquidem maxime utilis, & non minus necessaria, utraque illa philosophiae pars est, quam ipsa officiorum, ad nosmet ipsos pertinentium, doctrina. Quantane vero hic futura esset doctrinarum confusio, quantaque inter regulas practicas subfutura esset intercedo, si omnia, huc spectantia, ex physica, & pneumatologia, huc essent referenda?

## §. X.

*Et utramque porro in novas quasdam partes. Speciam theorēticas.*

Uti tota vero philosophia hac ratione in partem suam *theoreticam*, & *practicam*, melioris tractationis causa, recte dividitur; sic *utramque* harum, porro supponimus, in *peculiares* iterum disciplinas, ob eandem causam, non minus recte dispesci. Quum inter ea enim, quæ & *agenda*, & ob eo feliciorem praxin *scienda*, nobis ad felicitatem nostram promovendam sunt, varia occurant, quæ *singularem* inter se *affinitatem* habent; ut eo melius hæc omnia pertractare, atque illorum inter se *nexus* ostendere, siveque mutuam alteri ab altero *lucem* foenerari, liceat, ab *heterogeneis* aliis illa recte separantur, siveque ad separatas, propriasque, classes suas revocantur, unde disciplinae in utraque philosophiæ parte diversæ porro oriuntur. Quumque *homo*, ad felicitatem suam ducendus, principium philosophiæ *objectum* sit, cuius naturam propterea paulo intimius quoque nosse, maximopere juvat, prater hominem vero ipsum etiam *alie*, in mundo nos circumstantes, res multæ dentur, quas accuratius nosse multum, ad felicitatem nostram, nostra omnino interest, horum vero omnium paulo accuratior notitia nos ad *ipsum* tandem *naturæ auctorem*, mundique conditorem invisibilem, deducat; tria hecce hominem in primis ad felicitatem suam intimius nosse, adeoque in parte philosophiæ *theoretica* etiam potissimum pertractare, omnino oportet. Quum id vero, quod in nobis *visibile*, *materiale*, & *corporeum*, est, cum *reliquis*, in mundo nos circumstantibus, rebus *materialibus* aliis multa *communia* habeat, siquidem ex iisdem, cum aliis, partibus *heterogeneis* constamus, & vitam, sensumque, non minus, quam alia quædam corporum mundanorum genera, habemus, & ex rebus *materialibus* aliis vivimus, atque nutrimur, inque nostram easdem substantiam convertimus, immo & in illarum iterum substantiam, post mortem nostram, non minus convertimur; quid, quæso, causa est, cur nostrorummet *iporum* contemplationem, quatenus *corpus*, & *materia*, sumus, à *reliquarum*, itidem *corporearum*, & *materialium*, rerum consideratione *sejungamus*, siveque nos non ad

ad eandem etenim classem cum iisdem referamus? Oritur ergo sic philosophia theoretica pars, quam *physicam*, seu *philosophiam naturalem*, à *naturae*, quam ita contemplandam sibi sumit, nomine vocant, cuius latissime adeo ambitus patet. Quoniam non omne tamen illud, quicquid nosmetipſi sumus, & fini quasi nostro fovemus, *corporeum*, & *materiale*, esse, vel ipsa sana ratio sola nos jam edocet, atque vel sola cogitatio, cuius intime conscientii omnes nobis sumus, satis nobis persuadet, *talem* vero substantiam *intelligentem*, & *candidorem*, DEVm, esse, evidenter ipsum *nature autorem*, & *conditorem*, DEVM, esse, evidenteribus non minus, quam de nobismetipſis, rationibus constet; nullam iterum videimus rationem, cur *barum*, & *smilium* forsitan ejusmodi, substantiarum contemplationem à se invicem separeremus, quounque etiam, aliarum perfectionum intuitu, modo inter se differant. Nova ergo sic philosophia theoretica pars enascitur, quam *pneumatologiam* in genere vocamus, quæ *psychologiam*, *theologie naturalis* partem theoreticam, & *demonologiam*, tanquam totidem diversa, & separata, capita, sub se complectitur. Atque eti⁹ prater *nos* jam, mundumque ipsum, & mundi conditorem, nulle res supersunt, circa quarum contemplationem harere adhuc possemus, quæque adeo *novam* philosophia theoretica partem possent constitutere; occurserunt tamen non pauca, quæ his omnibus, quas modo recentissimus, rebus, aliisque *possibilibus*, sunt *communia*, quæ adeo & illorū intimius nosse, perspectaque omnino habere, juvat, qui ad solidam illorum omnium cognitionem pervenire cupiunt. Hæc ergo peculiari quadam disciplina comprehendere, siveque novam quadam philosophia theoretica disciplinam constitutere, convenit, quam à *primis suis*, quæ tradit, conclusionum philosophicarum *principiis*, remotissimisque fundamentis, *philosophiam* quoque primam appellare par est: *vulgus vero metaphysicam*, vel alio strictiori voce *ontologiam*, vocare solet. Atque in hac quidem, *theoretica philosophia* partis, in has enumeratas disciplinas, vel scientias, divisione quid desiderare quis jure meritoque possit, nos quidem haec tenus non videmus.

## §. XI.

Tum &  
practica.

*Practica*, quæ præter theoreticam in philosophia corpore datur, pars, ut circa id solum occupatur, ut, quid agendum nobis, hominibus, ad felicitatem nostram promovendam, sit, præcipiat; sic tota etiam, quanta est, circa *solas nostras*, hominum, *actiones*, rite ad felicitatem nostram affsequendam obeundas, & dirigendas, unice versatur. Quoniam ex theoreticæ vero philosophia dogmatibus hic jam *praefructuatur*, quod præter aspectabilem illam *corporis nostri machinam* etiam *aliud* quid, quod fons cogitationum in nobis est, in nobis etiam omnino detur, quod *animam nostram* vocamus, cuius naturam immortalem, & post corporis analysis permanentiam, eadem philosophia theoretica nos solide edocet, idque adeo agendum nobis omnino est, ut non ad *corporis nostri* solum, ejusque status, conservationem, sed ad *animæ* quoque nostræ felicitatem cum *in hac*, tum *post hac* vitam, ratione sola promovendam, actiones nostras referre discamus; *finis* hicce, quem actionibus nostris intendere possumus, *diversus*, ipsaque inde oriunda insignis actionum nostrarum diversitas, *diversas* etiam hic considerationes, diversasque insimul, quibus seorsim ea pertractantur, *disciplinas*, merito hic peperit, quas propterea quoque in philosophia practica admittendas omnino esse juc dicamus. Quatenus actiones enim nostræ ad *corporis, flatusque*, nostri conservationem dirigenda sunt, atque id quidem hic agendum nobis est, quod *voluntati conditoris nostri*, ipsique *naturæ nostræ*, ex cuius consideratione regulæ huc spectantes practicæ potissimum deducenda sunt, *convenire* intelligimus, siveque, quidnam *officii* nostri ratio à nobis hic postulet, ex conditoris nostri, nostræque quam jam in præsenti habemus, naturæ, ejusdemque ab eodem dependentiæ, consideratione, totiusque creationis nostræ, quem ratione sola perspicimus, fine, derivare, idque justo conclusionum cum possitis suis principiis nexus demonstrare, alloboramus; disciplina quædam inde oritur, quam *jus naturæ*, vel *jurisprudentiam naturalem*, hodie vocamus. Quatenus vero ad *status* nostri in hac

hac vita felicitatem promovendam observanda quedam nobis occurunt, quæ non tam ex ipsa humanæ naturæ consideratione, indeque pendente voluntatis divina cognitione, fluunt, quam à circumstantiarum quarundam accidentalium consideratione potius, pendent, indeque, ut brevibus rem exprimamus, non tam *juris*, quam *prudentiae*, sunt; disciplinam quandam ex regulis, huc pertinentibus, recentiores potissimum scriptores extruxerunt, quam perantiquo, longeque alio sensu olim usurpato, vocabulo *politican* plerique fere omnes hodie appellant. Quatenus vero tandem actiones nostræ ob obtinendam *intrinsecam animæ nostræ in hac vita felicitatem* non minus quoque dirigenda nobis veniunt, ubi eo potissimum omnia redunt, ut *vitiosi*, & *inordinatos*, *animi nostri motus compondere*, & in ordinem redigere, siveque *perpetuum*, quantum quidem fieri ratione sola potest, serenitatem, quietem, & tranquillitatem, eidem inducamus, hucque facientia media sollicite circumspiciamus; disciplina iterum peculiaris, ex doctrinis, huc spectantibus, enascitur, cui pervulgatum iterum, & perantiquum, *ethicæ*, ab aliis vero *philosophiae moralis*, sensu strictiori accepta, nomen tribuitur. Atque ad hanc moralem philosophiam referre quoque commode possumus, quicquid ad *animæ nostræ post hanc vitam*, promovendam felicitatem ratio ipsa faciendum nobis dicitat. Quod omne cum *nostris erga Deum*, conditorem, & conservatorem, nostrum, nostrumque actionum supremum judicem, observandis *officis* absolvatur; tota de *officiis erga Deum*, cultuque divino, doctrina, ratione sola cognita, adeoque altera, & *præctica*, *theologie naturalis pars*, ad hanc philosophiæ *præctica* disciplinam commode potest referri. Potiori saltim jure huc, quam ad *jurisprudentiam* naturalem, eadem referri meretur, de quo pauca postea adhuc annotabimus. Tota vero haecce philosophiæ *præctica* divisio multum *aristotelicae* illi in *ethicam*, *politican*, & *economican*, est præferenda.

## §. XII.

In hisce omnibus scientiis, & disciplinis, philosophicis ve-

D.

ro

*Quibus*

m

nova qua-  
 dam pars vel scienda nobis sunt, vel agenda, solum exponatur, quatenus sola cuiusvis ratione, si rite eadem usus quis fuerit, & uti  
 adhuc ac-  
 cedit. ro quum etenim de illis omnibus, quæ ad felicitatem nostram  
 à reliquis, sic dictis, facultatibus superioribus, quæ itidem circa  
 felicitatem nostram promovendam versantur, sed ex alio lone-  
 ge fonte sua omnia derivant, philosophia differt (a); de ratio-  
 nis nostra cultura, iustoque operationum intellectus nostri usu, in  
 philosophia quoque ipsa nos quam maxime sollicitos esse o-  
 porret, siquidem sine eo non magnos neque in theoretica, ne-  
 que in practica, philosophia progressus nos facturos esse, spe-  
 randum est. Regulas ergo, observations, & cautelas, huc spe-  
 ciantes, atque ad hunc potissimum usum in genere compara-  
 tas, in peculiarem quandam disciplinam, obiecti sui à reliquis,  
 haec tenus enumeratis, diversitatem, & amplitudinem, colligere  
 opera omnino est pretium, cui receptum jam iterum apud anti-  
 quos philosophorum logices nomen etiam hodie adhuc tri-  
 buimus; alio vero nomine etiam philosophiam rationalem, à ratio-  
 nis nostra, circa quam versatur, cultura, eandem appellamus.  
 Atque hanc philosophiæ partem equidem latè apte & commode,  
 quando totam philosophiam in partem theoreticam, & practicam,  
 dividimus, ad practicam quoque referre omnino pote-  
 ramus, siveque totam philosophiam practicam in illam, quæ in-  
 tellectui, & illam, quæ voluntati, hominis regulas suas practicas  
 praescribat, dispescere, siquidem illud omne, quicquid modo in  
 philosophia rationali traditur, præxœdæ causa omnino traditur,  
 & precipitur. Quoniam regularum tamen, & observationum,  
 hic occurrentium, usus in omni, & theoretica, & practica,  
 philosophia fatis insignis, maximeque necessarius, est; rectius  
 quoque hanc philosophiæ practicæ parrem, ob hanc ipsam, mo-  
 do dictam, rationem, reliquis disciplinis philosophicis omnibus  
 premitti, siveque primo statim, & introductionis quasi in reliquias  
 subsequentes omnes, loco, in systemate philosophico ipso, ex-  
 isti-

(a) Vid. diss. vera philos. not. posser. scilicet I. §. 14. sqq. Et prolegom. de philos. in genere  
 §. 18. sqq.

istimamus, pertractari (b). Hanc ergo disciplinam philosophicam quando jam reliquis, supra enumeratis, *ib. oretica, & practica*, philosophia partibus adhuc jungimus; omnia illa sub earum ambitu, putamus, comprehendendi, quæ referri modo cunque ad philosophiam ipsam, in universum spectatam, possunt, sive totam quoque illam, in *toto suo ambitu* consideratam, *hoc disciplinarum philosophicarum orbe absolvvi* (c).

## §. XIII.

Quando has ergo solas, & omnes, ad philosophiam ipsam, vi <sup>Jam de singulis</sup> generalis ejusdem notionis, pertinere ob haec tenus dicta supponimus, sive totius cu usdam compositi, fines, orsum ex-<sup>borum se-</sup>  
limitesque, per partes ipsi proprias, & ad eandem unice pertinen-<sup>I. quidem de logica.</sup> tes,

- (b) prepostere ergo admodum hic agit GODOFR. POLYCAP. MULLERVS, quando ob ipsam illam, hic à nobis adductam, rationem, cum in *philosophia facultatibus superiori accommodata*, Fr. & Lips. 1718. in 8. ed. tum & in *germanico*, & ab hoc diverso, *philosophie totius compendio*, sub tit: *Weisheit und Klugheit der vernünftigen Welt* ib. 1723. in 8. ed. *logicam postremo inter omnes partes theoreticas, & practicas, loco collocat, & pertractat.*
- (c) sunt equidem inter recentiores philosophos, qui his, haec tenus enumeratis, disciplinis alias, recens à se inventas, adhuc addunt: quales v. c. ipsorum *cosmologia, psychologia empirica, teleologia, philosophia practica universalis*, & ejusmodi aliae sunt. *Preter omnem vero necessitatem id ab iisdem fieri, existimamus. Quaecumque ad has novas enim disciplinas, vel scientias, ab iisdem referuntur, illa omnia alias quarundam, supra jam recentiarum, scientiarum poriones quedam sunt, in quibus illa etiam longe melius, & in *naturals* suo cum aliis homogeneis *nexus*, pertractari possunt. Quare enim v. c. doctrinae de *natura & essentia corporum, ac pendentibus inde affectionibus, de legibus moris, & de elementis, potiori jure ad cosmologiam, quam ad physicam, pertinerent? aut quare doctrina de *naturals & supernaturali*, si in abstrado spectatur, non ad *metaphysicam*, seu *philosophiam primam*, in applicatione vero si consideretur, ad *theologiam naturalem*, que bene, reque, si non melius, rectiusque, quam ad eandem quidem *cosmologiam*, referri posset? quod idem etiam de *perfectione & ordine universi* judicandum est. Et hec tamen sunt capita illa *principia*, que cum doctrina de *mundo in genere*, ejusque definitione, multis disceptationibus adhuc exposta, *cosmologiam* illam fere integrum efficiunt. Neque *teleologia* quadam peculiari, que de *finibus rerum creatarum* agat, si *fines, & usus*, hic *unum idemque* sunt, opus erit, sed tota illa doctrina ad *physicam* recte refertur; immo, quum ab *horum cognitione principia philosophica natura-***

tes, *satis* jam, hoc ipso, *definiti* sunt; ut *singularum* harum partium, & disciplinarum diversarum, limites ex propriis earundem notionibus, & objectis, accurate quoque definiantur, sollicite dispiciendum est. De *singulis* ergo, seorsum spectatis, *sigillatim* jam nonnulla annotabimus, atque ab *illa ipsa*, quam *ultimo* inter easdem loco commemoravimus, initium statim ejus rei hic faciemus. Hic vero quantum se nobis statim, vel in ipso limine, offert differendi campus! quantum hic errorum, quantus dissensionum, se prodit labyrinthus! *Quot scriptores, & doctores, fere logici* in scholis superioribus, & inferioribus, dantur; *tot nova fere* hujus scientiae produnt *systemata, tot novi protruduntur foetus:* utinam non *immaturi* maximam partem, &, licet non sine magno sape, & dolore, & molimine, editi, non minus tamen sape, quam *montium parturientium* in proverbio partus, *ridiculi.* Nolumus illos jam commemorare, qui, pro *justis* scientiae hujus *systematibus*, vel *talibus* etiam ejusdem *compendiis*, quae omnia, ad plenam perfectamque ejusdem pertractionem necessaria, dogmata complectantur, *scientie* potius qualiscunque perquam macilenta, omnique succo, carne, & nervis, carentia, *scelerata* nobis obtrudunt, ut illa pro *larvis rectius, umbrisque, quam utili,* & *succulenta, philosophiae parte, mereantur haberi.* Quando si nem enim dicendi faceremus, si de illis omib[us], quae *tali* hodie *habitu*, vel ex *recentissimorum* scriptorum foetibus, incedunt, hic vellemus exponere. Extat miserrimum ejusmodi hujus disciplinae scelerata in *cleberrimi* cuiusdam *philosophi epitomatore latino*, ejusque *institutionibus philosophicis*, duobus in 8. voluminibus a. 1725. editis, cuius, quod referre debebat, *prototypon* logicum ipsum *multis necessariis* justi corporis partibus adhuc caret. *Ilos* ergo hic solum memorabimus, qui, qum in plerisque officio suo fere faciant satis, vel *non paucia* tamen, maxime necessaria, atque ad scientiae hujus integritatem pertinentia, capita plane *mittunt*, quasi opus nihil esset, ut de illis quadam monerentur; vel *peregrina* etiam, atque ad alias longe scientiae forum spe-

naturalis & dignitas, & utilitas, pendeat, male ab eadem separatur: quod idem & de *psychologia empirica*, intuitu *psychologiae rationalis*, certo quedam modo valet. *De philosophia vera practica universali* infra adhuc dicemus.

spectantia; loco maxime alieno, *admiscent*, vel *utroque* tandem modo simul hic delinquent(a). Sunt enim, qui v. c. *multiplex* illud, quod inter *ideas* nostras intercedit, *discrimen* vix digito extremo attingunt, parumque, aut nihil, de *idearum omnium origine a sensibus, novisque ex his formandi ideas modis*, hic tradunt; sunt, qui omne illud, quicquid de *terminis, idearum nostrarum signis, & quasi vehiculis*, externis ad hanc scientiam referendum est, sicco, quod dicitur, pede prætereunt; sunt quoque, qui quicquid de *diversis judiciorum, & propositionum, generibus* hic tradi meretur, silentio omne involunt, & tantum non ad *pedantismum* referunt: sine quibus tamen omnibus nemo vel ipse distincte, solideque, de re aliqua judicaverit, vel aliorum judicia sub examen revocaverit. Alii logicam bene sibi constare existimant, si vel maxime nihil vel de *veritate in genere*, vel de *veritatibus omnis criteriis, & principiis*, in eadem occurrat; satisque intellectus nostri vitiis, & erroribus, mederi illam posse putant, et si nihil vel de *erroribus, errorumque causis*, vel de *præjudiciis, variisque præjudicatarum opinionum fontibus*, præcipiat. Et, ut multa alia præteramus, sunt, qui plenam, perfectamque, hujus disciplinae faciem jam esse possesibi persuadent, si vel maxime nihil de *ratiociniis, variisque ratiocinandi modis, & generibus*, ho-

(a) Dabunt hic vero nobis veniam lectors nostri, si *illos*, in quorum scriptis hos & subsequentes, defectus annotavimus, *nominibus suis*, in primis si *superstites* adhuc fuerint, compellatos hic non invenerint. *Vitia, & defectus*, scientiarum hic *indicare* animus nobis est, prout in horum, vel illorum, doctrinam scriptis eadem observare nobis licuit, non *vires* vero eruditos ipsos perstringere, bitemque illis movere, vel, quod videri forsitan poterat, *belum apis* plane *indicare*. Qui scripta ipsorum perlustravit, *is*, certe, facile quoq; observabit, *quinam illi sint, ad quos digitum* hic intendimus. Quibus illorum vero *scripta* vel *vita* nondum sunt, vel saltim non *lella*; illis etiam sufficit, si *nevos ipsos* perpicere, cosique & ipsi evitare, & in aliis, ubi occasio ita tulerit, dijudicare, didicerint. Quoniam *veritatis* enim causa, & *scientiarum incrementa*, quantum in nobis quidem est, promovendâ gratia, quæcumque hic monemus, afferimus; *invidiam* etiam, & *odium* illorum, quibus *sua* placet *Diana*, evitare nobis simul licet. Quicquid de hujus vero, & sequentium scientiarum, mœvis hic tradimus; illud vel *ex ipsa* earundem, in superioribus jam tradita, *notione* per se clarum esse, neque *longa probatione* indigere, existimamus.

horumque omnium *fundamentis*, & *legibus*, in eadem tradatur; nec de *syllogismis*, quippe quos cum *ratiocinis* tantum non omnes adhuc confundunt, illorumque diversis generibus, & *fundamentis*, quicquam doceatur. Imposuit enim hic multis CHR. THOMASII, & GOTTL. GERH. TITII, aliorumque, qui hos in primis sequuntur, autoritas, quippe qui totam de *syllogismo* doctrinam vel repudiant, & supervacuis annumerant, vel, quod rationes regularum syllogisticarum ignorarunt, erroris perpetuo postulant. Meminisse vero bonos illos viros oportebat, *syllogismos*, modo ridiculus illorum abusus, qui majoribus nostris per quam familiaris erat, tollatur, *optimum*, evidentissimumque, in se demonstrandi veritates cognitas medium esse, *legerque*, & *regularis*, illorum, quarum rationes, & fundamenta, tamen multi illareum contemtores, cum TITIO, ignorant, *geometrica* omnino certitudine niti.

## §. XIV.

*Quod S. hic continetur argumentum.* Qui talia vero, tantaque, dogmata in hujus quidem disciplinae pertractione omittunt, & negligunt; num, quæso, illi iustos ejusdem limites definire, quidve ad veram philosophiam rationalem requiratur, intelligere, dici possunt? Num rationalis enim esse philosophia potest, quæ ea, quæ ad rationis nosfræ in veritate vel invenienda, vel dijudicanda, & ab erroribus discernenda, vel apte tandem demonstranda, & cum aliis communicanda, culturam maximopere necessaria sunt, vel non curat, vel plane ignorat? Scilicet, quale sol sine luce sua foret mundi lumen; talis ejusmodi *logica*, qua his, & ejusmodi capitibus aliis, caret, est *philosophia rationalis*. Et ejusmodi tamen scriptores compendiarios plerique fere dissentium hodie in primis amant, siquidem sic, minori labore, & studio, scientiam aliquam perdiscere se posse, existimant. Non parum damni vero & dissentibus, & scientiis ipsis, afferit, quod philosophorum multi sic rem pro merito suo arbitrio hic agunt, atque, quicquid ipsi modo placet, ad scientiam aliquam referunt, atque *idem* tamen, communèque cum aliis, nomen *mutilis* hisce suis foetibus vindicant. Decipiuntur enim, hoc modo qui scientiae cuidam operam navant, atque pro *integra*, omnibusque

que suis numeris perfecta, & completa, scientia saepe vix duas tertias, aliquando vix dimidiam, tertiamque plane, partem, sub pleno totius scientiae nomine, & titulo, redimunt. Uti hi vero, hisque similes, in necessariis multis hujus disciplinæ partibus deficiunt; ita non pauci alii, qui eodem tamen simul defecitu laborant, novum eidem nævum adhuc adjungunt, dum peregrina multa, atque ad hujus disciplinæ ambitum nequaquam pertinentia, eodem tamen simul concludunt, siveque in utrumque extremum, eadem opera, irruunt. Non de illis jam loquimur, quos supra jam tetigimus (§. 7.), qui occasione regularum quarundam logicarum ad argumenta integra vel physica, vel metaphysica, pneumatologica, & moralia, quæ illis, vel quibus hæc, lucem aliquam affundunt, pertractanda dilabuntur. Etsi & illud enim minus methodice sit; tolerari tamen adhuc magis, in ejusmodi præfertim scriptoribus, poterat. Sed ad illos hic potius digitum intendimus, qui doctrinas, ab hujus disciplinæ scopo plane alienas, tanquam ipsi proprias, vindicant, invitoque quasi collo eidem obtrudunt, locoque plane inconvenienti, & inepto, non aliter fere eidem, ac peregrini & coloris, & contextus, pannum vestimento alicui, assuunt. Quot enim non integrum fere ontologiam in eandem olim intulerunt? Neque vel ex recentioribus exempla illorum desunt, qui vel occasione doctrinæ de predicamentis, quam ad doctrinam de ideis substantialium, & modernorum, referunt, tantum non tam illam in logicam scientiam adhuc infaciunt, vel alia quoque quacunque oblata occasione metaphysica, & ontologica, huic scientiæ admiscent. Ut illos jam taceamus, qui, aristotelicorum tractandi methodum sequuti, locos suos, un vocabant, topicos, vel dialetoicos, qui rectius arti oratoria hodie à plerisque vindicantur, fusius in hac scientia olim pertractabant. Pauciores tamen illorum hodie occurrere, qui in excessu hoc modo, quam qui in defecitu, peccant, experientia satis docet.

## §. XV.

Id vero, et si non ad solam hanc scientiam pertinet, quin ubiq[ue] generale eidem potius cum reliquis fere omnibus commune est, præterire ratis quidam hic

dum, &  
requis  
discipl.  
philos. et  
pud mul-  
tos commu-  
nis, des-  
tus adhuc  
rotatur.

hic silentio non possumus, quod, si vel maxime justus argumen-  
torum ipsorum delectus institutus hic à nonnullis adhuc fuerit, tali tamen plerumque ordine eadem ab iisdem collocantur,  
qui pro nullo plane reputari poterat, quemque *casus* potius for-  
tuitus, quam ex ipsius *objecti* consideratione petita *ratio*, ipsis  
suggessisse videtur. Scilicet idem illud, quod in superioribus jam  
confutavimus, prejudicium, quod *methodus* nempe *arbitraria* sit,  
& esse debeat, plerisque etiam *bis* imponit, eoque plane ab-  
ducit, ut fibi persuadeant, parum interesse, quo quidvis col-  
locetur, & proponatur, *ordine*, dum in ipsa scilicet scientia  
aliquo modo *loco occurrat*, & pertractetur. Unde de eo modo  
plerisque sollicitos esse videoas, ut *homogeneas*, hoc est, ad unum  
idemque argumentum speciale spectantes, doctrinas v. c. de  
*definitionibus*, *divisionibus*, *propositione*, *demonstrazione*, &c. in *unum*  
*quoddam caput* compingant, in eodemque *totum* pertractent;  
num *boc*, illud, autem *caput recte hoc*, & non *altius*, ponatur *loco?*  
num ea, quæ in eodem pertractantur, ex *antecedentibus fluant*,  
& intelligi jam ex *tisdem* possint? immo &, num *onne* illud,  
quod eodem comprehenditur, jam pertractari *bis*, & explicari  
ex *praecedentibus*, queat, an minus? & quæ ejusmodi alia sunt, quæ  
animam tamen quasi totius *methodi* constituant, de eo vero paucos  
cogitare videoas. Etenim, ne *hoc* quidem *sensu*, si quid judica-  
mus, *methodus* plane *arbitraria* est. Non eodem enim plane  
redit, nec nihil omnino refert, sive argumentum aliquod *ante*, sive *post*, aliud *quoddam* pertractetur; nisi, parum referre,  
existimare quis velit, sive id, sine quo intelligi alterum di-  
stincte nequit, *conclusionibus* suis *præmittatur*, sive *longo post eas-*  
*dem intervallo* denum, in totius systematis *adficatio*, pertracte-  
tur. Antiquiorum plerumque hæc fuit tractandi *methodus*,  
quam *multi recentiorum* adhuc secuti sunt, quæ *tot* vero in *phi-*  
*losophia confusione*, *tot* *dissensiones*, & *logomachias*, nobis pe-  
perit, ut, qui *lernam malorum* in scientiis philosophicis illam di-  
xerit, non præter meritum quicquam affirmaverit. Medetur  
huic aliquantum malo recepta hodie apud *recentissimos* pleros-  
que scriptores philosophicos tractandi *methodus*, quā à no-  
tionibus vel *in se evidentissimis*, vel *alibi* jam *explicatis*, tracta-  
tio-

tionis initium capit, atque ex his demum, justo ordine, reliqua deducuntur. Sed, si verum farendum est, esset & maxime omnino necessarium, & laude sua dignissimum, est, uti ex dictis satis per se patet, & consequitur; nondum illud tamen omne exhaustit, quod ad iustam integræ cujusdam disciplinæ pertractionem, existimamus, requiri. Nondum enim sufficit, ut in singulorum quorumvis argumentorum pertractione à notionibus vel in se evidenteribus, vel alibi, & in antecedentibus, jam explicatis, tractationis fiat initium, siveque in subsequentibus nihil occurrat, quod premitti, nec in antecedentibus, quod post alia demum, debuisset, pertractari; sed de singulorum etiam istorum argumentorum inter se nexus, & ad habitudinem totius disciplinae relatione, simul semper est cogitandum, quo lectori statim pateat, quare hoc, illudve, argumentum non hoc solum, illove, inter reliqua, ibidem occurrentia, argumenta loco debuerit pertractari, sed in genere quoque ad hanc, illamve, plane scientiam relatum sit. &, per finem, eidem præfixum, generalem referri omnino debuerit, ne de coelo quasi delapsum jam hic esse videatur (a). Nisi hoc enim modo de

(a) Hæc in ipsorum geometrarum plerorumque tractandi methodo, non immrito, suo tempore jam, aliqua ex parte, taxavit autor. art. cogit. part. IV. cap. IX. p. 150. edit. halens. a. 1718. in g. ubi inter defectus, in geometrarum methodo passim obvios, de quibus integrum istud caput exponit, nr. V. etiam hunc refert, quod naturalem rerum ordinem non obseruant, atque de hoc defectu statim l. c. ita commentator: turpissimum, inquit, uti verba ejus ex versione latina fluant, geometrarum vitium hoc est; nullum enim illius ordinem sibi observandum rati sunt, modo priores propositiones ita disponant, quo posterioribus possint demonstrandas inservire; ac proinde vera methodus regulas negligentes, - omnia confundunt: una lineas & superficies, triangula & quadrata, commiscerent figurarum ope linearum proprietates demonstrant, aliaque multa invertunt, unde scientia pulcherrima labes sedissima asperguntur: qui porro variis, ex ep̄io EVCLIDE petitis, exemplis illustrat, tandemque concludit: Exscriptus nobis esset Euclides, si omnia hujus vii exempla vellemus adducere. Illum tamen solum corundem hic reprehendit necrum, quo illam methodi regulam negligent, qua docemur, à similibus, & maxime generalibus, semper ordiri, ut demum ad composita & particularia descendamus. Alterum vero illum, ad quem nos digitum hic simul intendi.

de argumentorum singulorum, ad scientiam quamcunque relatorum, inter se nexus simul cogitaverint, qui elaborandis integris disciplinis philosophicis vacant; omne illud, quicquid circa ipsorum argumentorum *delectum* agunt, mere *arbitrarium* aliis videbitur, sicut ad definiendos justos scientiarum istarum limites insufficiens semper manebit. *Nimium*, equidem scio, nimisque *laboriosum*, nedium *scrupulosum*, hoc *illis* iterum esse videbitur, qui *methodum* suam *arbitrariam* semper crepant; sed *nimum*, quoque scio, hoc *illis* solum videbitur, qui *superficieriam*, in omni scientiarum genere, cognitionem *solum* amant, & ad solidam non aspirant: *laboriosum* vero, & *scrupulosum*, *illis* tantum, qui *compendiarium* scientiam amantes, ex *omnibus* *aliquid* solum scire gestiunt, quo eo citius *polybistorium* aliquam affectare apud imperitos possint. Quibus *certitudo* vero, & *incrementa*, scientiarum, cumpromis philosophicarum, curæ, cordique, sunt; illi, non preter rem hæc à nobis moneri, facile perspicient.

## §. XVI.

dimus, nævum, quando *justus* nempe *argumentorum* inter se *nexus* negligitor, quique geometris multis non minus familiaris est, ne quidem tangit. Neque vero id, si verum fatendum est, vitió verti geometris potest, quamdiu intra proprium suum *forum*, *fundumque* quasi se continent. Neque enim vel idea *circuli* cum idea *trianguli*, vel *triangulis* etiam idea cum idea *quadrati* &c. quomodoenque coherer, ita, ut de *altera* ex *altera* deducenda, alteriusque cum *alterutra* *nexus*, anxi cogitandum sit. Unde *param* quoque refert, *five* de *circulis*, *five* de *triangulis*, in se *speciatifis*, vel *priori*, vel *posteriori*, loco aliquibi agatur; neque de eo in utriusque per traçatione laborare necesse est, quomodo, finita v. c. de *circulis* doctrina, ad doctrinam de *triangulis* *transitus* commode possit fieri, talisque, qui *totius discipline fini* respondent, & ex eodem per se quasi consequatur, *nexus* inter utramque inveniri. *Hoc omne* vero in disciplinis philosophicis longe aliter se habet, si *justo* per traçari ordine debent; siquidem de *tali* hic argumentorum inter se *nexus* laborandum est, vi cuius *sequentia* non solum ex *antecedentibus* intelligi, sed manifestum quoq; simul posse, reddi, quod & *antecedentia*, & *consequentialia*, *totius discipline fini* convenient, huic adeo & convenienter ad *hanc*, illamve, discipline furent relata. Quoniam *hac* vero tractandi *methodo* *geometrae*, & *mathematici*, in rebus mere *mathematicis* parum opus habent, indeque & *minus* illi affersunt; ejusdem etiam in rerum, & disciplinarum, philosophicarum per traçatione paulo negligentiores esse solent: unde & hic nævus *omnibus* cel. eujusdam mathematici *scriptis philosophicis*, cum germanicis, tum latinis, adhuc adhæret.

## §. XVI.

*Generale* hoc erat, quodque ad omnes disciplinas philosophicas, <sup>a. 2 De meta-</sup> rite constitutas, adhuc pertinebat, monitum: unde & circa *metaphysica*.  
*primam* illarum statim id afferre in medium voluimus, ne circa  
*singulas* isthac iterum, iterumque, monere necesse esset. Ut  
circa *singulas* tamen istas haec sibi lectores nostri in memoriam  
semper revocent, atque, tanquam de *singulis* seorsum monita,  
cogitent, ab iisdem contendimus, in viam jam, ex hoc quasi  
diverticulo, redeuntes. Ad *metaphysicam* enim, sive *primam*,  
quam vel ipsi *aristotelici* ita vocant, *philosophiam* (a), pedem  
jam proferimus. Quid nobis vero hoc nomine veniat, qualis-  
que à nobis sub eodem cogitetur, hicque indicetur, scientia,  
id vero ex superioribus jam satis patet (§. 10.). Ostensum au-  
tem nobis alio loco jam est (b), *scholasticorum errorem, malam-*  
*que librorum aristotelicorum*, quæ sub hoc nomine adhuc pro-  
stant, *interpretationem, occasionem effingendæ huic discipline pri-*  
*mam* dedisse, quum ARISTOTELI NE in mentem quidem un-  
*quam* venerit, vel *ontologiam*, vel multo adhuc minus, *theologi-*  
*am*, aut *pneumatologiam*, quandam naturalem, hisce libris tradere.  
Nec patitur vero hic locus, præsentisque instituti ratio, nec ne-  
cessè etiam est, ut fusius id à nobis hic commonstretur; quum  
ad oculum id alio loco jam evictum, & ipsa argumenti libro-  
rum aristotelicorum recensione copiosiori satis extra dubi-  
tationem omnem, sit, positum (c). Id modo hic annotandum  
nobis venit, quod *antiquorum*, & *recentiorum*, omnium, quam  
de hac scientia vel hodiensem sibi formant, notio *hoc uno schol-*  
*asticorum errore, & prajudicio*, nitatur. Non aliam enim vel re-  
centissimi scriptores metaphysici habent causam, cur sub hoc  
nomine vel *solam*, ita dictam, *ontologiam*, vel *ontologiam cum*  
*pneumatologia, & theologia naturali, simul, pertractent, quam, quod*  
*à scholasticis, & aristotelicis*, ex hac ipsa erronea persuasione, &  
*vitiosa librorum aristotelicorum explicatione, ad hanc disci-*  
*pli-*

(a) vid. *proleg. hujus scientie, tom. I. uberior, in philos. introduct. comprehensa,*  
*§. 4. & 45.*

(b) in *allegat. modo prolegomenis* §. 29. sq.

(c) *loc. nempe cit. §. 8. sq.*

plinam olim hæc relata, & ex libris Aristotelis, præter ipsius intentionem omnem, exculpta sunt. Non infelix tamen hic scholasticorum, si verum fatendum est, fuit error; siquidem sine eo & sic dicta *ontologia*, & *pneumatologia*, atque *theologia* naturali, quippe de quibus nec ARISTOTELES, nec *alius quisquam* græcorum philosophorum, unquam cogitavit, carendum nobis forsitan, vel hodienum, in philosophia esset. Quoniam hoc vero modo omne illud, quicquid circa hujus disciplinæ pertractionem haec tenus usū receptum est, mero errore, & *præjudicio*, nititur; in cassum omnes illi jam necessario laborant, qui hanc suam tractandi rationem quasi *a priori*, ex nomine metaphysica vindicare, indeque, nescio quam, philosophiam transcendentalē sibi effingere, allaborarunt, quæ & *ontologiam*, & *pneumatologiam*, & *theologiam naturalē*, quibus *cosmologiam* suam recentiores adhuc addunt, sīnū, ambituque, suo complectentur, atque generali sua *notione* quasi necessario includeret. Et ipsius enim hujus *nominis*, quisquis etiam ejusdem autor est, longe *aliam vim*, & *intentionem*, esse, neque *transcendentalem* ejusmodi philosophiam, ex primorum autorum consilio, indicare, suo itidem loco non minus iam annotatum est (d).

## §. XVII.

(d) vid. sape cit. prolegom. §. 2. sq. Ex eodem vero errore videtur protulisse, quod cel. SYRBIVS in suis *philosophia prima institutione*. Jen. 1719. in 8. edit. tres hujus disciplinae partes constituit: *architectonicam* nempe, quæ, uti vel ipsum rubrum apud eundem habet, *præter theologiam philosophicam*, *omnis eruditioris fundamenta*, *principia* & *methodum*, ex *ipsius hominis consideratione derivata*, sīp̄at; tum *metaphysicam*, quæ *philosophiam occultam* tradat; & denique *ontologiam*, quæ *nōrōnum philosophicorum*, *vulgo usitatorum*, *explicationem* contineat. Quamvis prima illa, aliis fere haec tenus ignota, pars *novo*, illoque speciatim, videatur nisi *præjudicio*, quo *scholasticī*, & *aristotelici*, *metaphysicam* suam *reginam scientiarum* reliquarum appellabant, quæ *hīs*, tauquam *famulis*, *subditis*, suis de *ente* suo tantum, quantum *ip̄sīs* quidem conveniat, *attribuat*, atque inter illas quasi varie *disperiatur*. RVDIGERVS vero, qui totam philosophiam in *septientiam*, *justitiam*, & *prudentiam*, nova quadam ratione, distribuit, *metaphysicam* ad *justitiam* referit, in eademque, *præter ontologiam*, et iam *doctrinam* de *Deo*, & *officiis erga Deum* observandis, cultuque *divino*, per tractat. vid. ejus *philos. lynher. seu institut. erudit. Fr. ad M. 1717.* in 8. ed. p. 361. sq. & ejusdem *philos. pragmat. Lips. 1723.* in 8. ed. p. 3. scq.

## §. XVII.

Quum nec per primi ergo *autoris* institutum, cuius scripta occasio-  
nem huic disciplinæ primam dederunt, nec per ipsum ejusdem no-  
men, quippe longe alio fine, sensuque, eidem olim impositum, sci-  
entia hujus *objectum* determinatum sit, quicquid à *scholasticis* vero, <sup>Idem con-</sup>  
tinuatur <sup>argumentum</sup>. illorumque sequacibus *aristotelicis* aliis, hic haec tenus factum est, nu-  
do errore & præjudicio nitatur (*per §. præc.*); danda nobis jam eo  
magis est opera, ut, siquam hujus nominis scientiam ad reliquas dici-  
plinas philosophicas relaturi adhuc in posterum sumus, accurate, & ex  
generali philosophia, rerumque ad theoreticam philosophiam pertinen-  
tium, indole, & natura, *objectum* ejus determinemus. Quumque præter  
res *materiales*, & *immateriales*, nihil superfit, quod contemplationis no-  
stræ *objectum* possit fieri, quam *notiones* quadam *generales*, tum rebus  
omnibus, *actu existentibus*, sive materialibus, sive immaterialibus,  
tum *mere etiam possibilibus*, communes, ex quibus *notionibus* genera-  
tioribus porro *principia* quedam *universaliora* consequuntur, quæ aliis  
dogmatibus, & veritatibus, philosophicis *fundamenti* loco inserviunt,  
summamque illis & *evidentiam*, & *certitudinem*, conciliant, hæc au-  
tem omnia iterum propter suam & *amplitudinem*, & singularem inter  
se *affinitatem*, & ab aliis aliarum scientiarum *objectis differentiam*, ad  
peculiarem quandam *disciplinam* referri mereantur; his jam, si me-  
moriam & primæ *originis*, & *scholastici erroris*, conservare simul  
volumus, *metaphysica*, sive *ex rei potius objectique*, natura desumere  
appellationem volumus, *princeps* *reius philosophie*, nomen tribuere pos-  
sumus. Illi ergo tum huic scientiæ præfigendi erunt *limites*, qui à  
*confusa* illa *antiquioris metaphysices* notione quam maxime recedant,  
atque intra determinatum suum *objectum* se contineant, nihilque  
adeo vel cum *pneumatologia*, vel cum *theologia naturali*, vel cum  
*alii quacunque scientia*, *commune* habeant. Ex generalissimis  
ergo *entis*, sive *rei actu existentis*, in genere *spectati*, & *possibi-  
litatis*, *conceptibus*, vi *primi contradictionis principii*, illæ suc-  
cessive conclusiones, & *notiones*, deducendæ sunt, quæ *generalissima*  
quadam *demonstrandi fundamenta* constituent, omniumque tam  
vere existentium, quam *mere possibilium*, cognitioni lucem debitam af-  
fundant, sicque ad *maximum*, qui *possibilis modo est*, & *certitudinis*,  
& *evidentie*, gradum philosophicam nostram cognitionem ducant.

Tali

Tali tamen simul, etiam hic, argumenta singula sunt collocanda ordine, ut non *subsequentia* solum intelligi ex *antecedentibus* possint, sed *alia* etiam ex *aliis* naturali adeo *nexus* fluant, quo vel ex eo quilibet statim intelligat, nec ad *alium* quandam *disciplinam* referri argumenta, hic *occurentia*, debuisse, nec *alio* quoque, eoque meliori, *ordine* vel hic pertractari eadem potuisse. Etsi talis enim tractandi ratio in *scholasticorum* metaphysica, quatenus vel ut *ontologia*, vel ut nudum etiam plane terminorum philosophicorum, spectabatur, *lexicon*, sperari non poterat; in *nossa* tamen, quam nos hodie metaphysicam facimus, scientia, quatenus jam *philosophia* quedam *prima* est, locum haec habere quam maxime posse, luculento aliquo exemplo satis jam ostendimus (a). Sic enim gradum, & dignitatem, *geometriae* cuiusdam *philosophice*, ad quam hanc *disciplinam* jam evehere studemus, jure meritoque eadem demum obtinebit, totque tandem eruditionem nostram omnem, &, per hanc, vel ipsam vitam nostram, felicitatibus beabit, quot nugis, ineptiis, & erroribus, ex *scholasticorum*, aliorumque illos in sequentium, culpa, in *theologia* potissimum, omnia olim replevit.

(a) in *nova* nempe hujus discipline elaboratione, Tomo I. uberioris introductionis comprehensa.

### COROLLARIA DEFENDENTIS.

#### I.

Præcisso symbolorum usu, nulla nobis amplius supererit abstrahendi facultas.

#### II.

Quid  $\tau\delta$  consciuum sibi esse in genere sit, definiri ~~actenus~~ non potuit.

#### III.

In Saturno, si nullos ille alii astronomos, opticis instrumentis, instructos, profunda erit totius telluris nostra ignorantia.

#### IV.

Præmia, penasve, non omnino tollere e mundo videntur, qui libertatem e vita tollunt.







Göttingen, Diss.) 1736 (1)



Sb. f

WDP



B.I.G.

Black

19

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

18. 1736, 5 5

Q. F. F. Q. S.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

DE

DEFINIENDIS  
JVSTIS SCIENTIARVM  
PHILOSOPHICARVM  
LIMITIBVS,

PRIOR,

QVAM

IN ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA,

PRÆSIDE

SAMVEL. CHRISTIANO HOLLMANNO

LOG. ET MET. P. P. O.

ad diem XXI. Jul. A. M DCC XXXVI.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

DEFENDET

JOH. CHRISTIANVS CLAPROTH,  
OSTERODA-CHERVSCVS,  
L. L. & Philos. Cultor.

Göttingæ  
Litteris Joh. Frider. Hageri.

